

confessionem saltem genericam faciendam adducat. Hac facta, poenitens, saltem condionate, absolvit poterit, praesertim si a longo tempore ad sacramenta non accessit, modo non videatur quaelibet peccata determinata ex actuali mala voluntate negare. Si sperari potest profectum, ad tempus dimittendus erit donec conscientiam melius examinaverit et magis sibi invigilare didicerit: sed plerumque dimissus non redibit. Cfr. Reuter, Neo-Confessarius, n. 117.

§ 2. DE MATERIA PROXIMA.

263. Materiam proximam sacramenti poenitentiae consistere in actibus poenitentis circa materiam remotam exercendis, certum est ex Trid. Sess. 14. cap. 3. et can. 4. ubi contritio, confessio et satisfactio vocantur *quasi materia* hujus sacramenti.

Disputatur autem inter Theologos de ratione qua actus isti sint quasi materia hujus sacramenti, quemadmodum fusi a Dogmaticis exponi solet.

Prior sententia, cui communius adhaerent Dogmatici, est Thomistarum. Hi censem actus illos esse veram *materiam ex qua* essentialiter conficiatur sacramentum, constituentes cum absolitione unum signum completum et efficax gratiae, quale constituit in baptismate aqua cum verbis sacramentalibus. Id tamen de satisfactione eateⁿus tantum verificari aiunt, quatenus poenitens habere debet propositum satisfactionis exsequendae: eo quod plane constat realem executionem poenitentiae injunctae tantum ad integratatem sacramenti pertinere.

Posterior sententia, quae Scotistarum est, contendit actus illos non esse nisi *materiam circa quam* sacramentum versetur et condiciones necessarias ut absolutio sacramentalis effectus suos producat, dum sola absolutio in signum efficax gratiae a Christo assumpta sit. Haec tamen sententia dupli ratione intellegitur. Scotus et veteres Scotistae necessarium dicunt ad sacramenti valorem ut contritio et confessio exterius manifestentur, quia natura judicii sacramentalis requirit ut causa sufficienter cognoscatur, antequam absolutio detur. Quidam alii (ut Ball. P. n. 4. seqq.) eamdem sententiam ita exponunt ut hos actus dicant non absolute necessarios ad valorem absolitionis, excepta sola interna contritione vel attritione, quae semper adesse debet ut bona dispositio ad veniam recipiendam requisita.

Illud tantum, ad scopum nostrum, hic advertendum est: nullo judicio Ecclesiae item hanc inter scholas Thomisticam et Scotisticam fuisse diremptam. Immo, teste Pallavicini in celebri Historia Conc. Trid. (l. 12. c. 10), Patres Tridentini diserte caverunt quominus per sua decreta

alterutri sententiae detrimentum inferrent. Quare integrum est quoad primum alterutri sententiae inniti: neque propter opinionem theologicam damnanda sunt ea quae aliunde, puta e praxi vel approbatione Ecclesiae, licere constat.

CAPUT II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

264. I. Forma hujus sacramenti reponitur in absolitione a peccatis quam Rit. Rom. (tit. III. c. 2) refert his verbis: " Deinde ego te absolvio a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. "

In his sola verba *te absolvio* probabilius requiruntur et sufficiunt ad valorem. Nam clare indicant subjectum quod absolvitur, et satis patet absolitionem dari a debito quod poenitens peccando contraxit: siquidem verbum *absolvio* pronuntiatum a sacerdote qui potestatem accepit ut nomine Dei offensi condonet, ex se vim habet significandi solutionem a speciali vinculo peccatorum, etiamsi haec non exprimantur. (Lugo, disp. 13. n. 18) Idem dicendum de formula: *Absolvio a peccatis tuis.* Attamen, propter probabilem aliorum DD. dissensum, grave esset his tantum verbis uti, atque ita exponere sacramentum periculo nullitatis. Certe valeret formula: *Absolvio te a peccatis tuis.* Quare leviter tantum peccaret qui omitteret voces *ego, amen*, vel invocationem SS. Trinitatis.

Ad voculam *deinde* quod attinet, haec hodie videtur addenda, saltem vi rubricae directivae, quia in editione typica Rit. Rom. (1884) chartere nigro ponitur. Antea eam nou esse dicendam multi opinabantur, eo quod rubro chartere in variis Rit. Rom. editionibus excusa erat, ideoque ad rubricam pertinere videbatur.

Nullum est dubium quin valide plures simul absolvii possint hac formula: *Absolvio vos a peccatis vestris.* Quare urgente necessitate, puta in naufragio, imminente praelio, etc., licite sic multi absolverentur, dummodo reliqua ex ipsorum parte requisita ponantur. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 645)

265. II. Huic formae in Rit. Rom. quaedam praeceunt et subsequuntur quae hic subjungeimus, de singulis adnotantes quanta sit obligatio ea recitandi. (1)

(1) Laudabiliter multi confessarii poenitentibus, antequam sua peccata confiteantur, benedictionem impertiuntur sub hac formula: " Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ut rite confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. " Confessos autem dimitunt his verbis: " Vade in pace. "

1º Confessarius " primo dicit : Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen. Deinde, dextera versus poenitentem elevata, dicit : Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. "

Hae preces, juxta ipsum Rituale, in confessionibus frequentioribus et brevioribus omitti possunt. Insuper, juxta communem DD. sententiam, semper absque peccato omittuntur. Dicit enim Trid. (Sess. 14. c. 3) verbis : Ego te abservo, etc. preces quasdam laudabiliter adjungi : quod nullum praecceptum importare videtur. (S. Alph. n. 430. dub. 3)

2º Has preces sequitur in Rit. absolutio a censuris : " Dominus noster Jesus Christus te absolvat ; et ego auctoritate ipsius te abservo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. „ Dē qua parte nota :

a) Ecclesiam jubere ut haec absolutio a censuris praemittatur regulariter absolutioni a peccatis, saltem ad cautelam : quia non decet ut cum Deo reconcilietur qui non fuerit prius cum Ecclesia reconciliatus. Certo tamen valet absolutio a peccatis, etiam non praemissa absolutione a censuris, dummodo aliunde nihil obstet : nequit enim prohibitio Ecclesiae reddere invalidum sacramentum cuius omnia essentialia elementa ponantur. In tract. de Censuris dicetur quatenus singulae obstent ne hoc sacramentum licite recipiatur.

b) Posse sacerdotem valide absolvere simul a peccatis et a censuris, adhibitis tantum verbis : *Absolvo te a peccatis tuis*, dummodo intentionem habeat simul solvendi omnia vincula e peccato oriunda. (S. Alph. n. 430. dub. 4)

c) Graviter peccatorum illum tantum sacerdotem qui, sciens poenitentem censura innodari a qua eum absolvere possit et debeat, prius eum a peccatis quam a censura absolvere vellit : quod vix contingere potest. Absolutionem a censuris omittere nullum peccatum est, si nulla adsit probabilis suspicio quod poenitens aliquam censuram incurrit; peccatum leve, si adsit haec probabilis suspicio. (S. Alph. l. c.)

d) Vocem *suspensionis* omitti, si poenitens sit laicus. (Rit. Rom.) Neque appetet cur omitti nequeat hodie cum plerisque clericis in minoribus constitutis, siquidem ab ordine suspendi nequeunt (n. 613), officium autem vel jurisdictionem a qua suspendatur vix ullus habet.

e) Sine ullo peccato omitti posse elevationem manus, quam rubrica praescribit faciendam a verbis : *Indulgentiam* etc. usque ad finem absolutionis a peccatis; idem dic de signo *crucis* sub hac absolutione faciendo, quamquam maxime decet ne haec sine justa ratione omittantur. (Bus. ap. S. Alph. n. 425)

3º Absolutionem a peccatis sequitur haec oratio : " Passio Domini

Nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen. " Haec pars omitti potest in confessionibus frequentioribus (Rit. Rom.) : immo probabile est eam numquam sub peccato addendam esse, ut dictum est de precibus quae absolutionem praecedunt. Congruum tamen est ut potissimum haec ultima oratio non omittatur sine ratione, et dicitur saltem dum poenitens recedit; siquidem probabile est eam elevare omnia bona opera poenitentis ad satisfactionem sacramentalem. (S. Alph. n. 430. dub. 3)

266. III. Numquam licet **absolutionem dare sub condicione de futuro** qua illius effectus maneat suspensus donec condicio purificetur, ex. gr. si restitues, si a blasphemando abstinebis. Nam ita sacramentum certo invalidum redderetur : quod praesertim elucet e traditione et praxi Ecclesiae, quae numquam hoc sacramentum sub tali condicione contulit. Absolvere autem sub condicione de praeterito vel praesenti, licet ob justam causam, nempe quotiens cavenda est irreverentia erga sacramentum cuius nullitas timetur, et simul damnum imminet animae poenitentis si ei absolutio non daretur.

Absolutioni sub condicione non obstat natura specialis hujus sacramenti, quod per modum judicii instituit Christus Dominus. Nam etiam in judicio humano non repugnat sententiam ferri sub aliqua condicione, prout videmus nunc multos damnari ea condicione ut, si in culpam non recidant, a poena liberi maneant. Insuper deest in hoc judicio sacramentali ratio, ob quam plures condiciones sententiae humanae adjici nequeant, vid. quod executores nescirent quid sibi agendum foret : hic enim executor est Deus quem nihil latet. Tandem sententiae sacerdotali intrinseca est aliqua condicione quam sacerdos tantum plus minus probabiliter, Deus autem solus cum plena certitudine nosse potest, scil. poenitentem esse rite dispositum. (Ball. P. n. 27)

Nullam dari obligationem ut haec condicio exprimatur vel formaliter concipiatur, liquet e dictis n. 113.

IV. Casus in quibus liceat vel oporteat absolutionem dare sub condicione, praecipue occurunt quando poenitens est in periculo mortis : de quo infra, n. 298 seqq. Extra hoc periculum, recensentur sequentes casus :

1º Si sacerdos prudenter dubitat num formam recte protulerit.

2º Si poenitens est dubie dispositus quoad dolorem, propositum, etc., nec commode differri potest absolutio, prout explicabitur n. 367.

3º Si sacerdos dubitat num habeat jurisdictionem in hunc poenitentem

vel in haec peccata ; poenitens autem, negata absolutione, diu in peccato manere deberet.

4º Si dubium est num adsit materia sufficiens, neque hoc dubium solvi potest, puta quia poenitens est puer valde rudis, semi-fatuus vel infirmus semi-delirans. Tales quandoque absolvuntur, ne gratia sacramentali priventur, neque maneant in peccato mortali quod forte commiserint. (S. Alph. n. 432) At si facile suppeditari potest materia certa, non licet dare condicionatam absolutionem : hoc autem semper facile est poenitentibus pleno usu rationis et loquela frumentibus, saltem recurrendo ad vitae ante actae peccata. (n. 261)

267. V. In Ecclesia latina certe graviter *illicitum* esset ad absolutionem dandam uti **formula deprecativa** : " Deus te absolvat, absolutionem peccatorum tribuat tibi Deus, „ vel simili.

Hanc formam *invalidam* quoque esse communiter tenent Theol. cum S. Th. Opusc. 22., ducti potissimum ratione sequenti. Sacramentum istud institutum est per modum judicii, ac proinde forma per modum sententiae proferenda est; sententia autem a judice proferri nequit verbis deprecativis, sed tantum indicativis, quibus potestatem suam ostendat. Attamen alii formam deprecativam validam existimant, saltem si, ex intentione sacerdotis proferentis et recepta consuetudine, sensum habet aequivalenter indicativum. Praecipua istorum ratio est : satis constare talem formam, per plura saecula, in Ecclesia latina et, ad nostra tempora usque, in Ecclesia graeca fuisse adhibitam, ac proinde fieri non posse ut ita universaliter in re tanti momenti erratum sit. Immo Clemens VIII, Instructione super ritibus Italo-Graecorum (1595), jubet quidem sacerdotes graecos qui, in casu necessitatis, latinos absolvunt, uti forma *absolvo te*; nullatenus autem dicit formulam deprecatoriam invalidem adhiberi, vel indicativam pro Graecis quoque adhibendam esse : quod omittere non potuisset, si deprecativam aestimasset invalidam. Cfr. Palmieri, de Poenit. Parergon ad Thesim XII.

VI. Absolutio numquam dari potest **absenti**. Id graviter illicitum esse patet ex reprobatione a Clemente VIII facta sequentis prop : " Licet per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere. „ (Denz. n. 962) Atque in Congr. S. Off. (14 Jul. 1605) Paulus V declaravit utramque partem hujus propositionis, etiam seorsum sumptam, esse reprobata. Quare neque solam absolutionem licet dare absenti, etiamsi antea praesens confessus esset. Immo absolutionem sic datam invalidam fore, ex eadem proscriptione constat. Nam Clemens VIII prohibuit ne *umquam quovis modo* ad praxim deducatur doctrina hac propo-

sitione contenta. Hoc autem vetare non potuisset, nisi talis administratio sacramenti invalida esset. Leges enim ecclesiasticae nequeunt obligare cum gravissimo detimento temporali, et multo minus cum gravissimo periculo damnationis aeternae. Quare, nisi confessio talis invalida foret, Ecclesia non posset eam prohibere ei qui, jamjam moriturus, frustra conatus esset confessarium habere praesentem. (Lugo, disp. 17. n. 64)

Praesentia requiritur *moralis*, seu intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent : id enim postulat natura hujus judicij sacramentalis quod, ut ex traditione patet, proferendum est super reum praesentem. Distantiam quae inter sacerdotem et poenitentem intercedere possit, multi extendunt ad viginti passus. Ideo, si poenitens (ut fit) antequam absolvatur discedat, plerumque non erit necessarium eum revocare, sed poterit statim absolviri, eo quod certo scitur eum intra paucos passus adesse. Similiter valide absolvetur e fenestra proxima vulneratus in via. (Tamb. de Sacr. l. 5. c. 2. n. 13) In multis casibus dubium erit num valeat absolutio, quae proinde sub condicione danda erit, puta si sacerdos videt in notabili distantia hominem e tecto ruentem, in mari pereuntem, etc. Certo non requiritur ut poenitens verba absolutionis audiat, multo minus ut eadem intellegat. (S. Alph. n. 429)

Non constat absolutionem quae per **telephonum** daretur fore invalidam : sic enim aliqua ratione vox confessarii ad poenitentem perveniret, ac proinde non esset certo confessarius absens, ut in casu de quo procedit decretum Clementis VIII. Attamen multo probabilius invalidam censemus, eo quod telephonica communicatio, in morali hominum aestimatione, non facit unum alteri vere praesentem, sed censemur medium communicandi cum absente. Quare certe graviter peccaret qui absolveret per telephonum extra casum *extremae necessitatis*; in hoc casu (qui fere contingere nequit) posset absolutio dari sub condicione. De hoc ultimo casu interrogata S. Poenit. 1 Jul. 1884 censuit : " Nihil esse respondendum. „ (Ball. P. n. 1155)

268. VII. De **externis circumstantiis** requisitis ut licite, juxta leges ecclesiasticas, audiantur confessiones, haec pauca notabimus :

1º Sacerdos ipso Rit. Rom. (tit. III. c. 1. n. 7) jubetur ut : " In ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili; quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare. „ Nomine autem ecclesiae non veniunt oratoria stricte privata : in his ergo confessiones excipi nequeunt, etiam a Regularibus, nisi forte episcopus facultatem fecerit. (Piat. Prael. J. R. t. II. p. 204)

2º Insuper eodem Rit. (l. c. n. 8) praecipitur ut "sedes (confessionalis) patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco posita, crata perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa. " In multis tamen locis confessiones surdastrorum utriusque sexus excipi solent in sacristia. Saepe ampliores determinationes hujus obligationis exhibent statuta dioecesana. Videsis Stat. Mech. n. 272 seqq. Etiam graviter delinqueret qui mulierum confessiones, excepto necessitatis casu, audiret extra ecclesiam vel in loco ecclesiae minime patenti, cum facile inde gravia scandala orirentur. Non videtur tamen id grave fore, si quis semel vel iterum id ageret in iis adjunctis locorum et personarum quae moraliter omne hujusmodi periculum removerent.

3º Sacerdos confessiones excepturus "superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum fere consuetudo. " (Rit. Rom. l. c. n. 9) Regulares plures, per directam concessionem vel privilegiorum communicationem, facultatem habent audiendi confessiones in ecclesia publica, sola stola indui. Videsis Piat. l. c.

SECTIO II. DE SUBJECTO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

§ 1. DE CONTRITIONE IN SE ET IN ORDINE AD SACRAMENTUM.

269. DEFINITIO. **Contrito**, quae primum locum inter poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. (Trid. Sess. 14. c. 4) Complectitur ergo : 1º dolorem ; — 2º detestationem ; — 3º propositum ; ac proinde non sufficit, ut Lutherus docuerat (propos. 7ª inter damnatas a Leone X; Denz. n. 631), cessatio a peccato et vitae novae propositum et inchoatio, sed veteris etiam odium requiritur. De distinctione inter detestationem et dolorem de peccato, quae a Dogmaticis explicari solet,

non est quod solliciti simus : eo quod in homine viatore unum sine altero numquam erit.

DIVISIO. Praecipua divisio contritionis est in *perfectam*, quae proprie sibi nomen contritionis vindicat, et *imperfectam*, quae attritio vocari solet. Satis liquet ex Trid. (l. c.) discrimen inter utramque in eo reponi quod contritio oriatur e motivo caritatis, attritio e motivo inferioris ordinis. Docet enim Trid. contritionem in genere supra definitam *aliquando caritate perfectam esse*, attritionem vero communiter concipi ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu. Non ita liquet quid requiratur et sufficiat ut contritio perficiatur caritate, eo quod de natura istius virtutis non pauca disputatione Theol., ut breviter dictum est Vol. I. n. 211. Hinc :

1º Certo habebitur perfecta contritio, si motivum doloris est offensa Dei propter seipsum, non autem unice propter beatitudinem nostram, super omnia appetitiva dilecti. Nec refert utrum contritio eliciatur e motivo alicujus attributi specialis Dei, ex. gr. misericordiae, justitiae, etc., an e motivo bonitatis divinae, quatenus haec omnes Dei perfectiones complectatur : nam infinita Dei excellentia in singulis Dei attributis reperitur. (Ball. P. n. 39)

2º Probabile est contritioni perfectae sufficere dolorem de peccatis quatenus per ea amiserimus aeternam beatitudinem nostram in Dei possessione sitam, seu amorem imperfectum amicitiae quo diligatur divina bonitas prout bona est diligenti. Nec proptera admittere debemus, quod parum probabile est, formale objectum caritatis esse bonitatem divinam in quantum est beatitudinis objectum. Nam, per praedictum amorem amicitiae imperfectum, directe ferimur in Deum ipsum quo volumus frui, non sub hac ratione formalis, quia volumus esse beati, sed quia Deus Deique unio et familiaritas placet, ita ut, etsi in hoc non esset sita nostra beatitudo, id nihilominus vellemus. (Palm. de Poenit. Th. 22)

3º Multi Theol. antiquiores, quorum sententiam probabilem censem Suar. (disp. 4. sect. 2) et Lugo (disp. 5. n. 4), tamquam perfectam habent eam contritionem quae peccatum super omnia detestatur, etiamsi haec detestatio non oriatur ex caritate sed ex motivo oboedientiae, religionis vel poenitentiae. Certe talis contritio perfecta evadet, si una cum harum virtutum motivo consideratur infinita excellentia Dei cui est facta injuria, negata oboedientia, etc. ut facillime fieri potest. (Ball. P. n. 41)

4º Praecipue planum plerisque erit a consideratione Dei-Hominis, pro peccato ex amore nostri patientis assurgere ad detestationem peccati tamquam mali ipsius Dei : in qua detestatione ratio verae caritatis pro-